



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. IV. De Desolatione Terrae Galindiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Hermannus de Salza IV. Ord. Teut. Magister General.
Hermannus de Balke I. Magister Provincialis Prussie.

CAP. IV.

De
Desolatione Terræ ^(a) Galindiae.

Galinditæ creverunt & quasi germinantes multiplicati sunt, & roborati nimis, & impleverunt terram suam, sic quod eos non commodè potuit sustinere. Undè sicut Pharaon ad opprimendum populum Israelitarum dixit obstetricibus: Si masculus natus fuerit, interficite ipsum; si fœmina observate. Ita & istis videbatur consultum, quod quicquid nasceretur sexus fœminini, occideretur, & masculi ad bellum servarentur. Et dum hoc indicto non proficerent, quia mulieres videntes elegantiam nascentium, conservabant occultè eas. Ideirco de communi consilio & consensu, ut omnis materia pueros nutriendi tolleretur, omnium uxorum suarum ubera præciderunt. Super quo contemptu & detestabili facto mulieres indignatæ accesserunt ad quandam ^(b) Dominam, quæ secundum ritum ipsorum sacra & Prophetissa reputabatur, ad cujus imperium hujus terræ facta singula regebantur, petentes sibi super hoc negotio salubriter provideri. Quæ compatiens sexui suo, convocatis ad se potentioribus totius terræ, ait ad eos: Dii vestri volunt, ut omnes sine armis & ferro, vel aliquo defensionis adminiculo contra Christianos bellum moveatis. Quo audito statim obediunt, & omnes, qui ad bellum habiles fuerunt, ad viciniorem Christianorum terram, lato animo sunt profecti. Ubi præter alia mala, quæ fecerant, prædam hominum & jumentorum innumerabilem abduxerunt. In reditu quidam de captivis occultè fugientes reversi ad fideles, nunciaverunt eis, quod in toto infidelium exercitu non essent aliqua arma, nec aliud aliquid,

*Hermannus de Saltza IV. Ord. Teut. Magister General.
Hermannus de Balke I. Magister Provincialis Prussiae.*

quo se possent defendere, consulentes bonâ fide, ut ad impug-
nandum eos viriliter, sequerentur. De quibus verbis animati
Christiani cum magna turba secuti irruerunt in eos, & omnes
sine defensione aliqua occiderunt, quo præcepto Sudovitæ &
aliæ Nationes vicinæ intraverunt terram Galindia prædictam,
& mulieres & parvulos & alios, qui relictæ fuerant, in servitutem
perpetuam deduxerunt, sicque terra illa usque in præsentem
diem remanet desolata.

ANIMADVERSIONES.

- (a) De Galindia Prussiae Provincia, Patria mea, vide Carmen Nobilis-
simi Viri Dn. Friderici Zameli Consulis quondam Elbingensis,
quod sub calcem Chronici hujus dabimus.
- (b) Id hoc loco ex antiquitate Græcâ videtur addendum: Polyxo Sa-
cerdotem Apollinis à fœminis simili modo consultam esse, quo-
modo maritos suos ulcisci possent. *Vid. Herod. lib. 6. cap. 138.
seq. Videantur & Proverbia: Lemniâ manu; Lemnium malum.*

C A P. V.

De

Idololatria & ritu & moribus Pru- thenorum.

PRutheni notitiam Dei (a) non habuerunt, & quia simplices
fuere eum ratione comprehendere non potuerunt. Imò
nec in Scripturis ipsum speculari poterant. Mirabantur ultra
modum in primitivo, quod quis (b) absenti intentionem suam
potuit per literas explicare. Et quia sic Deum non cognove-
runt ideò contigit, quod errando omnem creaturam pro Deo
coluerunt, sive (c) Solem, Lunam & Stellas, tonitrua, volatilia,

qua-